

meridiem, quod tamen imperiti quidam sacrificuli in passione dominica facere solent, referentes horas istas veteres ad has nostras. Principio quoniam non à media nocte numerentur in supplicio Christi, patet ex eo quod clarissima iam dies fuit, quum Christum cruci affigerent Iudei, sicut legere est apud Ioann. c. 19. Quia adduxerunt Iesum à Caipha in prætorium, erat autem mane zc. Nam si numeratæ essent horæ à media nocte, Sol utiq; hora 6. ortus fuisset, quoniam paulò ante Sol ingressus erat Arietem, quo tempore æquinoctium semper fit, & si id pertinaciter adhuc quispiam crederet, is & Christum noctu Crucifixum fateri cogetur, quoniam legitur Matth. 15. Erat autem hora tertia & crucifixerunt eum. Contra tamen Ioannes ipsum à Caipha in prætorium scribit esse ductum, Quomodo & Marcus c. 15. inquit, Mane iam facto consilium inierunt omnes principes sacerdotum. Reliquum iam adhuc est probare, horas illas neq; à meridie nostro more numeratos fuisse, id aperte. Marcus quoq; c. 15. testatur, dicens, Et facta est hora sexta (hora nimirum precise meridiana) tenebræ factæ sunt per totam terram usq; ad horam nonam, qua deinde clamavit IESVS voce magna zc. Quis enim obsecro tam stolidus fuerit, qui numeratis istis horis à meridie, miraculum hoc esse dicat, quum aliàs æquinoctii tempore occidente circa horam sextam sole, vbiq; terrarum, nox irruat. Similiter & Lucas c. 23. refert, quoniam erat hora 6. (in meridie, quæ nobis est) & tenebræ factæ sunt per vniuersam terram, usq; in horam nonam. Id si factum esset hora 6. eo quod nos numeramus modo, quid opus fuerat quæso. Dionysium Areopagitam Athenis in Græcia tantopere admirari ac dicere, Aut naturæ deus patitur aut mundi machina dissoluetur. Vtrinque igitur errore existente constat horas illas fuisse ab ortu, quarum etiam quælibet pars exitit duodecima diei, pertinet huc, quod in Actib. Apostolorum legitur Petrum dixisse, Non sicut vos aestimatis ii æbrii sunt, sit hora diei tertia.

### PROBLEMA NONVM.

*Quomodo & diametralem signorum Zodiaci oppositionem & Planetarum ordinem internoscas?*

**S**I Horoscopium nostrum rursus in suprema sui parte aspicias, ad dextram, iuxta scalam planetariam videbis signorum 12. oppositionem inter se, quomodo scilicet v. opponatur ♌, & sic in cæteris. Ibidem quoq; in eadem linea deorsum quatuor sunt series iusto quodam ordine collocatæ, ordo Planetarum, dies septimanæ, Planetæ diurni, & nocturni, hoc est, qui nam in primis dierum noctiumq; horis planetæ regant, vt prima primæ diei scilicet Solis hora regit ☉, prima diei lunæ hora ☾, & vicissim, prima in die Solis hora noctis regit ♀, & sic deinceps, qua de re plura comperies parte secunda.

### PROBLEMA DECIMVM

*Stellas fixas ad hoc instrumentum necessarias, quo modo & tempore in cælo imaginari & cognoscere queas?*

**Q**Vandoquidem proximæ tum æquinoctiali tum Eclipticæ lineæ stellæ dignoscendis nocturno tempore horis comodissime omnium sunt, Circum circa in cælo stellæ mihi delegi 16. ab æquinoctiali iusta quadam distantia disitas, & cæteris quoq; non paulo insigniores, eas in horoscopium, hoc reposui in vtroq; latere, certa ordinatione seruata, ad dextram 10. reliquas 6. ad sinistram, ordinem illum exordiendo à Cane maiori qui & stellam habet reliquis multo splendidiorem, quam nos quoq; stellula quadam in multos radios ac veluti flammæ sparsa descripsimus. Secunda est stella illa splendida quoq; canis minor habens in se punctum album, quo designatur & ipsam magnitudinis primæ esse, quæ verò per omnia sunt nigrae vel secundæ vel tertiæ esse agnoscantur magnitudinis, hoc ordine quem sic libuit adsignare.